Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



quum dirumpet vinum veteres & vinum effundet & veteres perdent. Sed vinum novum in veteres utres mittendum est. Et factum est cum iret sabbatis ambulare per sata & discipuli eius ceperunt progredi & vellere spicas. Pharisei autem dicebant ei. Ecce quid faciunt discipuli tui sabbatis quod non licet. Et ait illis. Numquam legistis quid fecerit david quando necessitatem habuit & esuriit ipse & qui cum eo erant. quomodo introivit in domum dei. sub abyathar principe sacerdotum & panes propositionis manducavit. quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus. & dedit eis qui cum eo erant. Et dicebat eis. Sabbatum propter hominem factum est. & non homo propter sabbatum. Itaque dominus est filius hominis etiam sabbati.

Capl. iii.

Et introivit rursum in synagogam. & erat ibi homo habens manum aridam. & observabant eum si in sabbatis curaret. ut accusarent illum. Et ait homini habenti manum aridam. Surge in medium. Et dicit eis. Licet sabbatis bonum facere an malum. animam salvam facere an perdere. Et circumspiciens eos cum ira contristatus super caecitatem cordis eorum. dicit homini. Extende manum tuam. Et extendit. Et restituta est manus illi. Exeuntes autem pharisei cum herodianis. consilium faciebant adversus eum quomodo eum perdent. Et iesus cum discipulis suis secessit ad mare. Et multa turba a galilea. & a iudea secuta est eum. & ab hierosolymis. & ab idumea. & transiordane. & circa tyrum & sydonem. multitudo magna audientes quae faciebat venerunt ad eum. Et dixit discipulis suis. ut navicula sibi deserviret propter turbam. ne premerent eum. Multos enim sanabat. ita ut irruerent in eum. ut illum tangerent. Et cum autem haberent plagas. & spiritus immundi cum illum videbant. procidebant ei. Et exclamabant dicentes. Tu es filius dei. & vehementer comminabatur eis. ne manifestarent illum. Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse. Et venerunt ad eum. & fecit ut essent duodecim cum illo. & ut mitteret eos praedicare evangelium. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates. & eiciendi daemonia. Et imposuit simoni nomen petro. & iacobum zebedei. & iohannem fratrem iacobi. & imposuit eis nomina boanerges. quod est filii tonitrui. & andream. & philippum. & bartholomeum. & matheum. & thomam. & iacobum alphei. & thadeum. & simonem chananeum. & iudam scariothem qui & tradidit eum. Et venerunt ad domum. & venit turba. ut non possent neque panem manducare. Et cum audissent sui. exierunt tenere eum. Dicebant enim. quoniam furore ductus est. Et scribae qui ab hierosolymis descenderant dicebant. Quoniam belzebub habet. & quia in principe daemoniorum eiicit daemonia. Et convocatis eis in parabolis dicebat illis. Quomodo potest satanas satanam eiicere. Et si regnum in se divisum fuerit. non potest stare regnum illud. Et si domus super semetipsam dividatur. non potest domus illa stare. Et si satanas surrexerit in semetipsum dividatur et